

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1847

Auteur(s) : Roger de Tosny, fils de Marguerite [particulier]

Bénéficiaire(s) : Conches-en-Ouche, Saint-Pierre de Castillon ou Châtillon (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1150...

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Roger de Tosny, fils de Marguerite, cède en perpétuelle aumône aux moines de Saint-Pierre de Châtillon la localité où se situe leur monastère avec ses dépendances et le domaine de Châtillon avec son église et sa dîme et confirme les donations faites à cette abbaye.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 206 (extrait).
- b. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Ebroicensis, n° VII, col. 133-134.

Texte établi d'après b

Notum sit, tam præsentibus quam futuris, quod ego Rogerius de Toënio filius Margaritæ, pro salute animæ meæ et antecessorum meorum, concessi et confirmavi Deo et ecclesiæ sancti Petri de Castillione et monachis ibidem Deo servientibus in puram et perpetuam eleemosynam, locum ipsum in quo monasterium eorum situm est, cum pertinentiis suis. Concessi etiam eis et confirmavi villam illam quæ dicitur Castellion, ab omnibus querelis et calumniis ad me pertinentibus quietam et liberam, et absolutam, cum ecclesia et decima ejusdem villæ, cum omni territorio ad eandem pertinente, cum telonio ex integro ipsius villæ et totius territorii, cum forefactis, cum benleuca libera, cum omnibus redditibus et proventibus ipsius villæ. Concessi etiam ipsis ut habeant ligna ad se hospitandum et calefaciendum in omnibus forestis meis, sicut et ego, et omnes porci monachorum in pasnagiis meis sint liberi et quieti, et omnes aliæ bestię eorum eant et redeant cum porcis et bestiis meis per omnia loca nemorum meorum in pasturam, et eandem libertatem, et dominationem et consuetudinem habeat abbas super nostros omnes homines et advenas in terra sua habitantes, quas et ego habeo super omnes nostros homines et advenas in terra mea manentes ; et quidquid accesserit in omnibus decimis septimanis totum accipiant monachi quidquid in ista septimana eveniet, sicut et ego totum accipio in meis novem: et de auxiliis mihi vel domino Normanniæ pertinentibus omnes homines abbatiæ insimul per manum abbatis respondeant, sicuti faciunt homines de Romeliaco vel illi de Portis per manum dominorum suorum, et si quis hominum abbatis in terra sua vel in aliqua villarum mearum vel oppidorum, seu alibi aliquem hominum meorum percusserit, vel sanguinem fecerit, vel occiderit, quod absit, si famulus abbatis, vel ejus præpositus, priusquam meus vadimonia ab illis quæsierit, inde fiat placitum et concordia vel duellum, si acciderit in curia abbatis. Concedo et ipsis et confirmo in Anglia manerium quod vocatur Sena, Willamque et Wertheam liberam et quietam, cum ecclesia ejusdem villæ, et unum molendinum et maras ibi adjacentes ad piscandum, et warennam. Hæc omnia teneant et possideant in puram et perpetuam eleemosynam, libere, quiete, pacifice, cum omnibus ecclesiis, decimis, redditibus, possessionibus,

et cum omnibus consuetudinibus et libertatibus quas eis dederunt et concesserunt antecessores mei et homines ipsorum, tam in Normannia quam in Anglia, absque contradictione et calumnia mei vel heredum meorum. Pro hac autem concessione et confirmatione prædicti monachi LX et XII libras quas eis debebam de nemoribus meis in intuitu caritatis quietaverunt. Testibus his Guillelmo de Fraxino, Ricardo de Fornellis, Helia de Bosco, Matthæo de Bervilla, et abbatibus de Noa et de Strata, et pluribus aliis.